ORDINES MILITVM ECCLESIASTICORVM, ET SECVLARIVM,

qui in Orbe Christiano celeberrimi habentur:

Insignia Militum Ecclesiastic:



Milites D: Iacobi de Compostella.

Anno Dom. 1070. *in Hispania hic cœpit Ordo militum, postquam Rex Ramirus Victoriam illam insignem in Prouincia Compostellana contra Mauros adeptus esset.*

Primum fuerunt numero tredecim, quibus licitum est vxores ducere. Huic Ordini vnus præsidet nomine magni Magistri, qui (vnà cum alijs tridecim) potestatem habet eligendi milites.

Horum militum Insigne est Crux rubra gladij figuram præ se ferens. Ad festum omnium Sanctorum conueniunt, vt de rebus suis consulant. Magnos habent redditus annuos, & multa priuilegia, & ferè eisdem, quibus Augustini, legibus tenentur.



Milites S: Ioannis Hierosolymitani, qui posteà Rhodij, & hodie Maltenses nominantur.

Anno Dom. 1099. *Vrbs Hierosolyma capta est (pulsis Infidelibus) à Gotofredo Bullonæo Duce Lotharingiæ. Circà idem tempus Hospitium quoddam Hierosolymæ extructum est à Christianis, (D: Ioanni Baptistæ consecratum) quo peregrini exciperentur; & paulò post instituta est Societas Militum, quorum primus Rector fuit Gerardus, deindè Raimundus. Hi Milites nigram vestem alba cruce insignitam in pectore gestabant.*

Anno 1308. *Rhodum insulam à Tur*[illegible] *Clemens* 5. *& hinc dicuntur Rhodij.*

Anno 1523. *Victi à Turcis Maltam concessère, vndè hodie Maltenses appellantur.*

Horum militum munus erat pugnare pro fide Christiana, releuare oppressos, tueri viduas, & orphanos, &c. neque quisquam in hanc societatem admittendus, qui Mauro, Iudæo, Mahometano ortus, vel aliter ignobilis.



Milites Templarij.

Anno Dom. 1117 *Gotfredus Aldemarus Alexandrinus, & Hugo de Planco ac Paganis (mortuo Gotofredo Duce Lotharingiæ, & Rege Hyerosolymitano, ac iam regnante Baldouino) Societatem hanc iniêre, Sedemq; in Templo Hierosolym: habuêre, vnde Templarij dicebantur.*

Honorius Papa inductus precibus Stephani Patriarchæ Hierosolym: hanc Societatem confirmauit, deditq; vestem albam, cui Eugenius 3: *adiunxit crucem Rubram in pectore.*

Horum munus erat viam Hyerosolymam profecturis tutam præstare, & hospites excipere.

Anno 1310 *Clemens.* 5 *(qui tum sedem habuit in Francia,) Philippi Francorum Regis suasu hanc Militum Societatem vnà cum eorum Collegijs per Christianum orbem dispersis funditus euertit.*



Milites Teutonici.

Paulò post recuperatam à Christianis Hierosolymam, Teuto quidam nobilis, & diues horum militum societatem instituit, struxitq; Hierosolymæ Hospitium Virgini Mariæ (Vt Diuæ tutelari) sacrum.

Horum Militum munus ferè idem est, quod Militum Maltensium, neq; quisquam nisi Germanus, ideoq; nobilis eorum numero reponendus. Eorum Vestis erat alba, cruce nigra in pectore signata.

Anno 1184. *hi Milites (capta à Saracenis vrbe Hierosolyma) Ptolemaidam se recepere, & indè pulsi, in Germaniam patriam venerunt.*

Anno 1220 *à Frederico* 2 *Imp: impetrabant, vt liceret sibi arma sumere contrà Prussiæ incolas idolatras, quibus subactis sedem illic posuère, & ditioni suæ Liuoniam adiecère.*



Milites Calatranenses.

Anno Dom. 1130 *Hic Ordo institutus est à Santio Rege Toletano, ad imitationem Ordinis D: Iacobi.*

Nomen sumpsère hi milites à Calatraua, loco, quo consedèrunt, vbi quondam fuerat Templum præcipuum Militum Templariorum, qui, cum Saracenorum viribus impares essent, coacti sunt hunc locum his militibus in manus tradere.

Hi milites gestant nigram vestem, & rubram Crucem in pectore, & sunt Ordinis Cisterniensis, magnasq; tenent in Hispania possessiones.



Milites Alcantarenses.

Hi Milites nomen habent ab vrbe Alcantara in Castilia, & sunt Ordinis Cisterniensis.

Est illis Templum ornatissimum propè Tagum fluuium; sunt & amplæ possessiones.

Horum Insigne est Crux viridis



Milites Redemptionis.

Anno Dom. 1212. *Hic Ordo institutus est à Iacobo Arragonensi, qui Insulas Balearicas subiugauit.*

Horum munus erat captiuos redimere, vndè Redemptionis titulo insigniti sunt. Dicebantur etiam Milites Mariæ.

Confirmati sunt hi Milites à Gregorio Nono Pont: Rom: & vestem albam nigra Cruce signatam gerunt.



Milites Montesiani.

Hic Ordo eodem penè tempore, quo Calatranensis, institutus est.

Nomen habuit à Montesio in Valentia, vbi hi milites consederunt.

Horum Militum Insigne est Crux Rubra.



Milites Sancti Sepulchri.

Hi Milites (quibus nomen dedit Christi Sepulchrum) duas habuerunt rubras Cruces.

Hic Ordo hodie extinctus, aut potius Militum Maltensium Ordini adiunctus videtur.



Milites Christi.

Anno Dom. 1320. *Hic Ordo institutus est à Ioanne vicesimo Pontifice Romano,*

Horum Militum sedes fuit Portugallia.

Veste nigra, Cruce duplici vsi sunt huius Ordinis Milites.



Milites Sanctæ Mariæ matris Domini.

Nobiles quidam Bolonienses, & Modonenses in Italia, Principum contentionibus implicati nimis, & perturbati petierunt ab Vrbano 4. *Pontifice Romano, vt sibi societatem quandam inire liceret, seseq; liberè, & pacatè darent contemplationi.*

Paruam crucem rubram, auratam in pectore gerebant.

Hi Milites splendidè vestiebantur, & lautè epulabantur, vndè ab Italis vulgò Frati Gaudenti appellati sunt. Non licuit illis vti auro in calcaribus, & ephippijs.




Milites Sancti Lazari Hierosolymitani.

Hic Ordo confirmatus, seu (vt nonnulli volunt) restauratus est à Pio Quarto (Hi enim milites hunc Ordinem temporibus Basilij, & Papæ Damasi, regnante Iuliano Apostata floruisse affirmant,)

Horum Insigne est Crux viridis in sinistro latere gesta.

Bigamus in hunc Ordinem non est admittendus.

Insignia Militum Secularium.



Milites mensæ Orbicularis.

Anno Dom. 516. *Arthurus Dux bellicosus regnauit in Insula Britannia. Hic patriam labentem, & hostilibus Saxonum armis infestam diu magna cum laude sustinuit, atque exteras regiones nominis sui fama impleuit. Deindè rebus pacatis, vt aliorum animos militari gloria accenderet, hunc instituit ordinem, qui inter alios longè vetustissimus habetur.*

Huius Ordinis Milites in vrbe Winton: (vt quidam volunt) ad festum Pentecostes quotannis conuenêre.



Milites Periscelidis.

Anno Dom. 1349 *Eduardus* 3 *Rex Angliæ magnis Victorijs contra Francum, & Scotum illustris hunc Ordinem instituit, & D: Georgio consecrauit.*

Huius Ordinis milites Rex ipse insignit Periscelide, quæ auro, gemmisq; conflata læuum circundat crus, verbaq; ista continet [Honi Soit Qui M… Y P…]

Militum numerus 26. *è quibus Rex Angliæ præsidet.*

Tempus Societatis conuocandæ est Festum D: Georgij, & celebratur Vindesorij.

Hi milites gestant insigne D: Georgij pugnantis cum Dracone, & torquem, qui valere debet nec plus, nec minus 80. *libris monetæ Anglicæ. Eorum vestis est purpureus cum cruce rubra.*



Milites Stellæ.

Anno Dom. 1350 *Iohannes Francorum Rex Eduardi tertij Regis Angliæ gloria commotus hunc Ordinem militarem instituit, dicauitq; tribus illis Magis, qui ad Christum honore prosequendum ab Oriente profecti sunt.*

Huius Ordinis Insigne erat Stella pileo eminens. Verba erant MONSTRANT REGIBVS ASTRA VIAM.

Huius Ordinis fundator belli difficultatibus implicatus non potuit perficere quod instituit. Itaq; hic Ordo paulò post euanuit.



Milites Fasciæ siue Della banda.

Anno Dom. 1367. *Hic Ordo institutus est ab Alfonso Hispaniæ Rege, filio Ferdinandi, & Constantiæ.*

Hi milites gestabant fasciam quandam rubram tres digitos latam, quæ quasi stola à sinistro humero sub dextrum brachium aducebatur.

In hanc Societatem fratres minores natu (nobili orti familia) non maiores natu admittendi erant.

Extant apud Sansouinum Articuli multi, qui ab his militibus obseruandi fuerunt.



Milites Annunciationis.

Anno Dom. 1409 *Amadeus sextus, cognominatus Viridis Comes Sabandiæ induxit hunc Ordinem, qui Virgini Mariæ dicatus est, ob eamq; causam institutus, Vt Amadei primi, Comitis Sabandiæ ob egregiam fortitudinem in defendendo Rhodum contra Turcas præstitam, memoria celebraretur.*

Torques, quo vtuntur milites, ex aureis constatus est laminis, quæ paruulis constrictæ catenulis cohærent, continentq; quatuor has literas F. E. R. T. *hoc est.* [*fortitudo eius Rhodum tenuit.*] *Pendet autem ex ipsa catena Mariæ imago ab Angelo salutata.*



Milites Aurei Velleris.

Anno Dom. 1429. *Philippus cognominatus Bonus, Dux Burgundiæ, hunc Ordinem instituit, & D: Andreæ dicauit.*

Horum militum numerus 24. *quibus præsidet Dux Burgundiæ.*

Vtuntur imagine aurei Velleris, aureo torqui flammis, & igniarijs intertexto affixi.

Carolus pugnax Burgundiæ Dux (qui etiam huius Ordinis fundator à nonnullis censetur) hæc verba addidit [*Ante ferit, quam flamma micet.*]

Hodiè [illegible]



Milites D: Michaelis.

Anno Dom. 1469. *Ludouicus* 11. *Francorum Rex hunc Ordinem Ambasiæ instituit, & D: Michaeli dicauit.*

Initio fuit hæc Societas Cohors triginta sex Regni procerum, inculpatorum equitum, quibus Rex ipse præsidebat. Hodiè Militum multitudo, & Regum Franc: in militibus eligendis incuria huius ordinis contemptum peperit.

Hi milites conchyliatum torquem ducentorum aureorum quotidiè gestabant. Huic torqui affixa est imago D: Michaelis pugnantis cum Diabolo.

Verba Sunt [Immensi tremor Oceani]

Conueniebant hi milites quotannis ad festum D: Michaelis in templo Montis D: Michaelis.

Eorum vestes ab Henrico 2. *Francorum Rege Augustiores factæ sunt.*



Milites D: Stephani.

Anno Dom. 1561. *Hic Ordo institutus est à Cosmo Medices Florentinorum Duce, & confirmatus à Pio* 4.

Milites crucem rubram auratam gestant, & vestem nigram.

Huius Ordinis Statuta non dissimilia sunt illis Militum Maltensium; At licet his vxores ducere.

Censetur hic Ordo à nonnullis inter Religiosos, licet huic classi non impropriè (cum Præsidem habeat Ducem Florentinum) reponendus mihi videatur.




Milites Sancti Spiritus.


Anno Dom. 1578. *Henricus* 3. *Francorum Rex hunc Ordinem instituit, & Sancto dicauit Spiritui, cuius memoria celebratur tempore Pentecostes, quo die Rex ipse natus est, regnumq; consecutus. Militum numerus* 100, *quibus Rex ipse præsidet.*

Celebratur hoc festum quotannis primo die Ianuarij in Augustinorum templo Lutetiæ Parisiorum.

Horum militum Insigne est Columba (cuius forma apparuit Spiritus Sanctus) in medio Crucis.







Equites Aurati.

Postrema dignitas est eorum, qui ob virtutis præmia auratis donantur calcaribus, & vulgò Milites appellantur.

De Militibus (vt vocant) Banarettis, qui in bello tantùm per Regem Angliæ hoc titulo insigniuntur, & de Militibus Balnei, in eiusdem Regis inaugurationem creatis, cum sint alieni generis, non est nostri instituti iam dicere.

Viro Iuris-prudentia, & generosi animi dotibus insigni Thomæ Hesketh Militi, Regiæ Maiestati in Curia Pupillorum & Liberationum Procuratori summo, eidemq; Maiestati à Consilijs in partibus Angliæ Borealibus, Ioannes Clapham S.P.D.

De Militum Ordinibus (vir colendissime) Sansouinus Italus, & è nostratibus nonnulli satis copiosè scripsère. Ex eorum ego libris quædam (vt mihi videntur) memoratu non indigna, de Institutionis temporibus, Ordinum Fundatoribus, Patronis, ac huiusmodi iamdudum excerpsi, & in Tabulam quandam reduxi, adiectis simul tum Ordinum tum Institutorum insignibus; quæ nunc typis excusa sub nominis tui auspicio in lucem emittere non dubito. Quantum tibi debeo, alibi dicendum est; Interim opusculum hoc (vtcunque compositum) officiosi ergà te amoris symbolum eâ ipsâ, (quâ me, & meа soles) humanitate excipias. Vale. (in Hosp: Graiens:) Prid: Calend: Mart: 1603.